✠

VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV ABBATISSÆ, MONIALIVM, ET CONVENTVS PVRISSIMÆ CONCEPTIONIS VILLÆ DE EPILA.

IN DEI NOMINE. Noverint vniversi, quod anno à Nativitate Domini computato millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, die verò quæ computabatur vigesimo mensis Iunij, apud Civitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Civilis præsentis Regni Aragonum, in præsentia, & cum assistentia Excellentissimi Domini D. Nicolai Ludovisij Principis de Pōblin, Locumtenentis, & Capitanei Generalis pro sua Maiestate in præsenti Aragonū Regno, intervenerunt Magnifici Domini Doctores Gregorius Xulve Regens Cancellariam, Petrus Cabero, Franciscus Clemens Soriano Regij Consiliarij, & Magnifici Doctores Iosephus Vberte, & Frāciscus Iubilar, Iudices extraordinarij in hac causa, propter suspictiones Magnificorum Dominorum Petri Antonij Alegre, & Caroli Bueno & Piedrafita, Regiorū Consiliariorum, coram quibus fuit positus processus Abbatissæ, Monialium, & Conventus Purissimæ Cōceptionis Villæ de Epila, super inventario, in quo dictus Magnificus Iosephus Vberte Relator, præmissa relatione per dictum Relatorem, & cæteri Domini de dicto Regio Consilio, nec non dictus Dominus Regens, concordes fuerunt voti, & opinionis, quod Att. Contt. tenētur, & debēt pronūtiare, & repellere omnes propositiones in præ-

 sen-

ſenti proceſſu oblatas,neutram in expenſis condemnando, cætera ſupplicata locum non habere. EX EO maximè,& alias pronuntiatur provt in ſentẽtia,quia in præſenti proceſſu fuerunt oblatæ quinque propoſitiones, quatuor illarum iure dominij, quinta verò iure crediti, omnes tamen partes fatentur Cenſualia inventariata ad Illuſtrem D. Antonium Ximenez de Vrrea quondam Comitem de Aranda obitus eius tempore pertinuiſſe. Ex partibus verò,quæ iure dominij ſibi bona reſtitui ſupplicant,illarum duæ Illuſtres ſcilicet Don Petrus Paulus Ximenez de Vrrea Comes de Aranda, & D.Alvarus Perez de Oſſorio Marchio de Aſtorga, tamquam hæredes legitimi abinteſtato venientes,alter ex parte Patris, alter ex parte Matris conſanguinei proximiores bona ſibi reſtitui ſupplicant: duæ verò Illuſtris D. Phelippa Clavero Comitiſſa de Aranda, & Conventus Monialium Villæ de Epila ex teſtamento dicti quondam Comitis vocari contendunt,illa tamquam hæres ſcripta ad penſiones decurſas tempore mortis teſtatoris, hic verò vt legatarius, ad bonorum dominium in proprietate,& penſione, Illuſtres denique Duces de Oſſuna in vim legati, cuius ſolutioni bona hæc hypothecata dicuntur,propoſitionem recipiendam affirmant. Ex dictis autem omnibus quinque propoſitionibus, neutra admittenda venit. Non quatuor illæ oblatæ iure dominij:quia partes probare debent cõcludenter ſucceſsiones allegatas iam ex teſtamento, iam abinteſtato, & ſuper probationibus Iudex iudicium interponere: ſi enim legitimorum hæredum propoſitiones eſſent recipiendæ, Comitem abinteſtato deceſsiſſe declarandum veniret, è contra, ſi propoſitiones hæredis ſcriptæ, vel Conventus legatarij teſtamentum adeſſe dicendum foret, neutrum dicere, vel declarare poſſumus, nec itaque propoſitiones admittere, quod autem noſtrũ non ſit ſuper ſucceſsione legitima, vel teſtamentaria in

præ-

præſenti ius dicere ex eo eſt;quia per abinteſtatō venientes oppoſita fuit exceptio litis pendentiæ; orta ex cauſa quæ in proceſſu civili ordinario plenario inter varias perſonas,& præſertim inter hæredes legitimos, & ſcriptam in Curia Magnifici Iuſtitiæ Aragonum multo ante præſentis proceſſus inchoationem pendet conteſtata, & indeciſſa ſuper nullitate,vel valore,veritate, vel falſitate teſtamenti dicti quondam Comitis D. Antonij, cuius virtute venientes ex teſtamento incluſionem prætendunt, & factum,vnde exceptio oritur per literas narrativas à proceſſu illo ordinario emanatas concludenter probarunt: Cum itaq;cauſa teſtati,vel inteſtati à valore,vel nullitate, veritate, vel falſitate teſtamēti præfati omnino pendeat, & tale iudicium ſit iam preventum inter partes corā alio Iudice Sæculari, & Regio,in vniverſali,pleniori, naturali,& ordinario iudicio,& vbi cœptum fuit,de foro,iure,& ratione, finiri debeat, & terminari, ne partes ſumptibus innanibus vexentur litium multiplicitate involvantur, continentia cauſæ dividatur,& ſententiæ diverſæ,& forſan contrariæ in dies proferantur merito ſuper illa quæſtione iudicium noſtrum interponi non poſſe cenſemus, foro,iure,æquitate, & ratione obſtantibus. Non itaque decidere poſſumus adeſſe teſtamentum, & deinde nec propoſitiones teſtamentarias recipere,nec affirmare non eſſe, & ſic nec legitimos admittere; Neutri itaque bona veniunt reſtituenda, ſed petitiones repellendæ, provt repelluntur donec Iudex ille ad quem ſpectat,& ante quē cognitio per præventionē pēdet illā dirimat,& declaret. Fundamentum hoc ſolidum forale,& iuridicū,vt evadāt ex teſtamento veniētes varia, & diverſa opponunt:aiunt enim exceptionem litis pendentiæ non fuiſſe oppoſitam,non tempore habili, non ad omnes effectus,& quatenus ad omnes eſſe inefficacem, vel quia lis illa ex qua exceptionem oriri dicitur ſit inter perſonas diverſas,alio

modo agendi, vel quia alia, & diversa sit in illo iudicio, ac in præsenti, res petita, vel affectate, & solo animo impediendi testamentariam voluntatem per adversarios introducta lis illa; vel denique ex natura huius processus, qui tamquam executivus, & privilegiatus exceptione aliqua retardari non valet, nec impediri: Quibus omnibus sigillatim satisfacere duximus, vt contrarijs fugatis veritas magis elucescat. Non itaque obstat primum de non opposita exceptione; convincitur enim contrarium per lecturam processus in articulo trigesimo tertio replicæ Illustrium Comitis de Aranda, & Marchionis de Astorga, & in additione contradictorij eiusdem Marchionis de Astorga, vel potius Marchionissæ in eius locum repositæ. Non secundum de tempore inhabili post contestationem scilicet in quo dilatoriæ exceptiones non admittuntur; Quia (vltra quod in triplica hoc non fuit per venientes ex testamento, exceptum immo super exceptione litis pendentiæ contestatum) opposita fuit in termino replicationis, ante quem secundum naturam huius processus lis non potuit contestari: Quatenus tamen extra illum opponeretur cum scriptura testamenti litigiosi, contra quam exceptio competit non fuerit ante tempus probatorium exhibita, nec ante publicationem per excipientes visa, nec recognita non debuerunt ante publicationem excipere, nisi in termino contradictorij post publicationem, provt fecerunt: in exceptionibus enim non consideratur tempus originis, quando habita competebant, sed illud in quo valent actu exerceri: Tunc siquidem oriri, & emergere dicuntur quocumque itaque statu litis emergant, seu ante, sive post contestationem, etiam exceptiones dilatoriæ; quia (quæ de novo emergunt novo indigent auxilio) tamquam legitime oppositæ admitti debent. Non tertium, quod innuit solum in vim peremptoriæ, non verò

di-

dilatoriæ, & ſic ad merita cauſæ non verò ad Iudicem, nec proceſſum fuiſſe oppoſitam, quia exceptio pendentiæ litis mere dilatoria eſt, non mixta, vel anomala, vnde vel non debet opponi, vel ſi opponatur tamquam cauſa ſuos effectus neceſſarios producere debet: Hij verò ſunt ſuſpendere actionem, & vniverſum iudicium, quod ſine actore dari non poteſt. Et inde, & iudicium & proceſſum tamquam inſeparabiles: Non quartum quatenus dicunt ex lite illa ordinaria non oriri exceptionem hanc cum pendeat inter perſonas diverſas. Conventus enim ibi nõ litigat, nec fuit citatus, nec in lite comparuit, nam reſpondetur principium eſſe certum omni iuri cognitum, exceptiones rei iudicatæ, & litis pendentiæ a pari procedere, & quod vbi illa obſtat; & hæc impedit cognitionem: ſicut itaque res iudicata illius ordinarij proceſſus legatarijs Monialibus obſtaret, nec minus litis pendentiæ obſtat, litigat enim ibi Illuſtris Comitiſſa de Aranda tamquam hæres ſcripta vniverſalis cum legitimis hæredibus, & ſic teſtamentaria cum abinteſtato venientibus lis, itaque vertitur inter principaliter intereſſatos, & illos ad quos defenſio primo, & principaliter attinet, & primam habent in defenſione cauſam, & cum in dubium ſit ſententiam latam cum principaliter intereſſatis hæredibus nocere, ſecundario intereſſatis legatarijs: fit inde, quod ſicut ſententia illa noceret, & obſtaret legatarijs ſic itidem litis pendentia nocet, & obſtat. Nec oberit dicere, quod licet de iure procedat quod ſententia lata cum hærede noceat legatarijs, hoc ideo eſſe, quia inſtitutio hæredis eſt caput teſtamenti cum illud, abſque hæredis inſtitutione ſubſiſtere non poſsit, & omnia in teſtamento relicta ab hæredis inſtitutione, & additione hæreditatis dependeant; ideoque ad hæredem primario ſpectat teſtamenti defenſio, verũ quod hoc in noſtro Regno non procedit in quo teſtamentum poteſt valere abſque

hæredis institutione, & tota hæreditas in legatarios distribui, vnde legatarij ab hærede non pendent, quo in casu vnus in defensione testamenti non est magis principalis, quam alius, & sic nec hæredes magis, quam legatarius: Quia respondetur, quod licet in Regno posit valere testamentum absque hæredis institutione, & tota hæreditas in legatarios distribui; quo casu vnus legatarius in defensione testamenti non est magis principalis, quam alius. Tamen quando testator vnum facit hæredem vniversalem, & alijs legata relinquit ad ipsum hæredem vniversalem primario, & principaliter pertinebit defensio testamenti, etiam in Regno, secundario verò, & in consequentiam legatarijs, nam eo ipso, quod testator vult aliquem esse hæredem, eundem constituit primarium defensorem testamenti, nam sicuti de iure communi hæres est successor vniversalis testatoris, qui illius personā repræsentat, & in quē transeunt actiones activæ, & pasivæ, nec minus de foro procedit: Cum igitur negotium principale testamenti primario spectet ad hæredem de iure, & foro, ideo sententia lata cum hærede nocebit legatarijs, etiam non citatis, quamvis hoc non procederet si absque hæredis institutione tota hæreditas inter legatarios destributa foret, quod in præsenti non contingit: deinde quia in viam iuris communis, attentoque iure codicis in casu præteritionis, vel in iustæ exhæredationis legata non dependent ab institutione hæredis, sicut iure antiquo inspecto pendebat, quia constitutum est vt rupto, vel annullato testamento ex prędictis causis, cætera omnia in testamento relicta valeant; vnde si contra hæredem agatur de nullitate ex dictis causis sententia non noceret legatarijs, quorum legata à valore institutionis non pendebunt, si tamen contra hæredem agatur ex vitio, quod annullat totum testamentum, veluti, quia falsum, vel insolemne dicatur proculdubio sententia lata cum hærede

omni-

omnibus præiudicat ad quos ſecundarium intereſſe ex teſtamento reſultat, quia licet legata hodie de iure non dependeant â valore inſtitutionis; tamen pendent à valore teſtamenti; Et verum eſt hæredem inſtitutum eſſe perſonam cuius principaliter intereſt teſtamentum conſervare, & de cuius defenſione multum confidit ius: ſic itaque ſimiliter in hoc Regno procedit, vbi licet legata ab hæredis inſtitutione, vel hæreditatis additione non pēdeant, tamen ſententia lata cum hærede omnibus legatarijs, & intereſſe ſecundarium, & in conſequentiam habentibus ex teſtamento proderit, vel nocebit; non quando de inſtitutione, vel exhæredatione ſit dubium, à quibus legata non pendent, ſed quando, provt in præſenti agatur de inſolemnitate, vel falſitate totius teſtamenti, cum itaque venientes abinteſtato ex inſolemnitate, vel falſitate in proceſſu civili ordinario evertere intendant, totum teſtamentum, & ab eius validitate omnino legata pendeant, & hæres ſcripta ſit, quæ primas vices habet in defenſione teſtamenti, ſententia cum ea lata legatarijs etiam non citatis omnino proderit, vel nocebit; ſententia namque tunc cadit ſuper re omnino individua, quia non poteſt teſtamentum eſſe ſolemne pro parte, & pro parte inſolemne, neque Scriptæ Hæredi, ſolemne, & verum, & legatarijs inſolemne, aut falſum, nec è contra, ſed in totum, & omnibus ſolemne, & verum, vel in totum, & omnibus inſolemne, aut falſum: Cum itaque in perſona hæredis ſcriptæ, ſit perſona Conventus repræſentata, hoc ſufficit vt dicatur litem illam inter eaſdem perſonas agitari, & exceptioni locum eſſe. Non quintum de diverſo modo agendi, cum ibi principaliter agatur de valore, ſeu nullitate teſtamenti, hic vero incidenter: Quia fit ſatis, ex eo, quod non eſt certum in iure, quod idem modus agendi ſit neceſſarius ad inducendam litis pendentiam; Recepta potius Doctorum ſententia tenet eun-

dem

dem modum agendi non requiri, si origo petitionis sit eadem; cum ergo in præsenti decisio huius litis omnimodo pendeat à quæstione, quæ principaliter agitur in illo processu, merito dicitur, vtriusque litis decisionem ab eadem origine pendere, & quemadmodum lata sententia in illo super valore, seu nullitate eadem quæstio, nec principaliter, nec incidenter posset in isto refricari, sic similiter, cum lis ibi pendeat super illa quæstione, nec principaliter, nec incidenter poterit eadem in præsenti tractari: Maximè cum illud iudicium sit vniversale, & vniversæ hæreditatis comprehensivum; præsens verò particulare, in quo quædam portio bonorum vendicatur: vnde in illo præsens includitur, & consequenter per illius decisionem debet terminari, & vitatur inconveniens, à legibus præventũ eisdemque valde exhossumque, quod hæres possit pro singula, re hæreditaria immodicis expensis, & litibus in diversis iudicijs involvi, & contrarijs sententijs subijci, quod nullatenus est ferendum, & aliud quod forsan reddatur iudicium præsens illusorium, quia in eo minus plene, & incidenter cognoscitur, si oppositum ibi postea plene ei principaliter causa discussa decidatur. Non sextum, quod res petita non sit eadem, nam qui vult consequens, vult & antecedens, & cum quæstio testamenti sit antecedens, & præiudicialis, quæstio verò dominij bonorum inventariatorum consequens est ab illa dependens, qui petit declarari dominium, petit etiam declarari quæstionem ipsi dominio præiudicialem, vnde res petita in vtroque iudicio est eadem. Non septimum de lite in processu ordinario affectata, & solo animo impediendi executionem testamenti introducta; ex deductis namque in processu satis liquet dubiam, & disputabilem esse quæstionem de valore, vel insolemnitate testamenti Comitis D. Antonij, & altam indaginem requirere pleniori iudicio dignam, quam sit executivum, vnde affecta-

tio prætensa prorsus cessat. Non denique octavum, quod processus iste inventarij sit executivus, & iuxta forum privilegiatus; Quia natura processus inventarij est anomala, & iuxta subiectam materiam regulatur. Vno enim respectu potest executivus, alio ordinarius, alio verò possessorius, nam si agatur de dominio ordinarius, si debiti exactione executivus, si de possesione possessorius censebitur, cum itaque in præsenti inter partes super exceptione contendentes agatur de dominio illarum respectu, ordinarij naturam induit, & quemadmodum si post ceptum iudicium civile ordinarium in Curia Magnifici Iustitiæ Aragonum, inchoaretur aliud civile ordinarium in hac Regia Audientia obstaret, absque dubio in isto exceptio litis pendentiæ illius, ita pariter in hoc processu debet obstare, quamvis sit privilegiatus, quia privilegium solum consistit in exequenda sententia in eodem lata, absque recursu aliquo suspensivo non vero impedit, quominus in eodem posit cognosci super exceptionibus notorijs per publicas scripturas incontinenti probatis, iuxta veram in praxi receptam sentẽtiam. Tandem repellitur propositio Illustrium D. Ioannis Tellez Giron, & Elisabethæ de Sandobal Ducum de Ossuna. & Comitum de Oreña, per quorum obitum præsens causa fuit reassumpta cum Illustri D. Gaspare Tellez Giron Duce de Ossuna successore, quia dicti Illustres Duces agunt iure crediti in vim pactorum nuptialium innitorum in Regno Castellæ inter Illustres quondam D. Antonium Ximenez de Vrrea, & Ludovisiam de Padilla Comites de Aranda, & cum in hoc processu nequeant partes obtinere absque dominio, vel possesione propria, aut per clausulas resoluta, & de neutro docuerint, non de dominio, quia credito opponitur, non de possesione propria, quia non probatur, nec denique de re soluta, quia in instrumento pactorum nuptialium exhibito deficiunt clausu-

læ ad resolvendam possessionem solitæ, & necessariæ, & de instrumento allegatæ ratificationis in hoc Regno confecto non appareat, merito obtinere non possunt, & propositio repellitur, & aliàs Att. Contt.

SIG ✠ NVM mei Iosephi Barrera, & Soriano in Civitate Cæsaraugustæ domiciliati, Scribæ Mandati Maiestatis Domini nostri Regis, in Locumtenentia Generali præsentis Regni Aragonum, qui huiusmodi Vota, & Motiva à libro Regij Consilij Civilis dicti Regni Aragonum vbi continuata existunt de anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, extraxi, comprobavi, & signavi. Constat supra positum vbi legitur, continentia causæ dividatur, totius.